



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LXXV. Theodorvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

viris conuenti fuerint, eorum querimonias fideliter audiant, & secundū quod necessitas expetierit, absq̄ negligentia examinent, & diligenti studio emendēt. Quod si Dei timorem prae oculis non habentes negligere post secundā & tertiā commonitionē inuenti fuerint, omni se nouerint communionē vsq̄ ad condignam satisfactionē priuatos. I T E M. Qui presbyterū ordinare necessariū ducit, deputet eū Ecclesiā, in qua Domino seruiens iugiter perseueret. Hic ordinauit Episcopos 71. presbyteros 13. diaconos 11. Obiit .a. 4. Idus Oct.

LXXIII.

A. DCXXXVIII

SEVERINVS.

S E V E R I N V S, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit menses 2. dies 4. Hic ordinauit Episcopos 4. Obiit autem 4. Idus Octobr.

LXXIV.

A. DCXXXIX.

IOANNES. IV.

I O A N N E S, natione Dalmaticus, ex patre Venantio scholastico, sedit annum 1. menses 9. dies 18. Hic per Dalmatiam & Histriā multum pecuniæ misit ad redemptionem captiuorum. Hic ordinauit Episcopos 4. Defunctus est autem 4. Idus Octobr.

LXXV.

A. DCXLII.

THEODORVS.

T H E O D O R V S, natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo, de ciuitate Hierusalem, sedit annos 6. menses 5. dies 14. Hic ordinauit Episcopos 56. presbyteros 21. diaconos 4. Qui defunctus est pridie idus Maii.

LXXVI.

A. DCXLIX.

S. MARTINVS.

M A R T I N V S, de ciuitate Tudertina prouinciæ Tusciæ, sedit annos 6. mensem 1. dies 26. Hic 105. Episcopos in vrbe Roma congregauit, cum quibus condemnauit Theodorum quendā Episcopum Pharanitarum & Cyrum Alexandrinum, & Sergium Constantinopolitanum, & eius successores Pyrrhum & Paulum, qui nouitates contra immaculatam fidem præsumperunt innectere. Et demum prædictus Papa quia hæreticis consentire noluit, ductus est